

etiã hoc loco id contineri, quidam falsò opinati sunt, ut ex Hieronymi verbis, in quæst. sive tradit. Hebr. super Genesin patet: Pleriq; existimant (inquit) sicut in altercatione quoq; Jasonis & Papisci scriptum est, & Tertullianus in libro contra Praxeam disputat, nec non Hilarius in expositione cujusdam psalmi affirmat, in Hebræo haberi: In filio fecit DEUS cælum & terrã, quod falsum esse, ipsius rei veritas comprobat & c. Observa tamen, in Tertulliano id non legi, quod Hieron. asserit, sed hæc ejus verba sunt d. l. cap. 5. Ajunt quidem & Genesin in Hebræico ita incipere: In principio DEUS fecit sibi Filium. Sed firmum hoc non esse, statim subjicit.

XIII. Verùm ad priorẽ ut interpretandi rationẽ revertamur, quã quod ἀρχὴ λέγει principium sonat, ratione ἀρχῆς *Origo opinionis de Filio DEI* de Filio exponitur, in eam opinionem perduxit veteres, *Filio DEI per principium intellecto.* Quòd LXX. interpretes (quos Apostolus sequitur Heb. 10. 7.) verba Psal. 40. 8. ita vertunt: ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμῆ. Ubi voce κεφαλίδος, capitũ, principium metaphoricè intelligi, (Nota, κεφαλίδα Hellenistis idem ac *Hebr. 10. 7. quid κεφαλίς?* כֵּלֵי־סֵפֶר volumen esse, Esr. 6. 2. Ezech. 2. 9. cap. 3. 17. undecunq; appellatio deducta sit: de quo videatur Fullerus miscell. sacror. lib. 2. cap. 10. circa finem,) & de initio libri Geneseos, quin & specialius de ipsa prima voce, In principio, sermonem Psalti divino esse, veteres illi existimarunt. Ipse Hieronymus in quæst. Heb. d. l. hac de re sic differit: Magis itaq; secundum sensum, quàm secundum verbi translationẽ, de Christo accipi potest, (illud videl. כֵּלֵי־סֵפֶר ,) qui tam in ipsa fronte Genesis, quæ caput librorum omnium est, quàm etiam in principio Johannis Evangelistæ cæli & terræ conditor approbatur. Unde & in Psalterio de seipso ait: In capite libri scriptum est de me, id est, in principio Geneseos & c. Dionys. Carthus. in h. l. Secundò exponitur sic: In capite libri, id est, in exordio Geneseos: Ita enim habetur: In principio, id est, in Verbo creavit DEUS cælum & terram. Omnia namq; per ipsum creata sunt.

XIV. 2. Quòd Joh. 8. 25. Christus quæsitus à Judæis, quis *Joh. 8, 25.* esset? respondit: Ἴν ἀρχὴν, ὅ, ἵ καὶ λαλῶ ὑμῖν, Vulg. Ἴν ἀρχὴν principium, qui & loquor vobis. Ubi voce principium ad eandem *vocem,*